Caput I.

Quamquam Fastorum libros ne perficeret, exilio, ne, qui perfecti essent, omnes retractaret et limaret, morte impeditus est Ovidius, tamen qui strictim libros eos attingat neque animo ad singula intento legat, eum facile adduci, ut omnia bene se habere existimet, notum est. Contra qui accuratius in fastis versatus erit, certe aliter iudicabit, atque ipsam hanc ob causam quod nec sub oculis cadentibus corruptelis nec imprimis lacunis foedata videt, quae neque perfecta neque retractata ab ipso poeta sciat, sat multa inveniet, quae in suspicionem ei veniant. Nam apparet hanc in formam, quae perfectionis cuiusdam speciem adsimulatam prae se fert, fastos non ab ipso Ovidio sed ab editore vel librario quodam antiquissimi temporis redactos esse. Cuius vestigia etsi raro primo aspectu cognoscuntur, quia haud ineleganti ille ingenio neque Ovidi artis dictionisque fuit imperitus, a viris doctis saepe revelatae sunt, saepius revelandae. Hucusque enim nimii hac in re certe non fuerunt viri docti, immo saepius immerito fidere quam diffidere maluerunt. Sed in dies magis videtur intellegi et concedi uberrime atque audacissime fastos esse interpolatos. Atque Merkelius quidem, quem et doctissimum et sagacissimum existimatorem esse omnes scimus, partim Bentleium, Schraderum, Rieseium alios secutus, partim suo usus iudicio in nova editione Teubneriana, quae prodiit anno 1884, multo plures versus obelo notavit quam in prioribus [1]). In quibus versibus sunt multi, qui non ab docto illo librario, de quo dixi, possunt profecti esse, sed ab interpolatoribus satis ineptis. una enim illius est interpolatio, quae fastos inquinavit, atque multa profecto huius generis maculae sunt etiam abluendae. Itaque proferam iam locos quosdam, qui suspecti mihi sunt visi [2]).

---

[1]) Ceterum in praefatione illius editionis quaedam exposuisse videtur, doctissima illa quidem, sed in quibus acumen nescio an magis sit admirandum Merkelii, quam ipsarum rerum agnoscenda probabilitas.

[2]) Lemmata semper praefixi locis de quibus disputarem, id quod commoditati eorum qui legent fieri putabam. Iudicare sane non poterit de argumentatione, nisi qui totum locum apud ipsum auctorem relegerit, sed grata erit ratio quam adhibui eis, qui non tam examinare quam cognoscere volent sententias a me prolatas. Atque conexum singulorum locorum bene qui noverunt, habebunt aliquid fulcimenti, quod succurrat memoriae, si dissertatio praesto, libri omnes non sunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ovid. Fast. i, 1 sqq.

Tempora cum causis Latium digesta per annum
Lapsaque sub terras ortaque signa canam.
Excipe pacato, Caesar Germanice, voltu
Hoc opus et timidae dirige navis iter;
5 Officioque, levem non aversatus honorem,
Huic tibi devoto numine dexter ades.[1])
Sacra recognosces annalibus eruta priscis,
Et quo sit merito quaeque notata dies.

In his cumulatissime quaedam dicta primo displicebant mihi. Nam 'pacato vultu excipere', 'honorem non aversari', 'numine dextrum adesse' idem fere omnia significare quemvis puto legentem sentire, moleste ferre multos. Atque eo magis repetitio illa offendit, cum fiat post verba 'et timidae dirige navis iter', quae verba, ut exquisitissime dicta, pulcherrime sententiam videntur finire uno disticho expressam, sicut semper factum videmus a poeta in hac allocutione Caesaris Germanici. Quod quamvis saepe fiat natura distichi iubente, tamen neque ob eam potissimum causam neque casu puto hoc loco factum; convenit prorsus sollemni ac gravi generi dicendi, quo cetera quoque hoc in exordio prolata videmus. Itaque voluisse atque intendisse illud poeta videtur. A quo proposito aberrans si semel duo disticha coniunxit, profecto non ita coniunxit, ut prioris vim ac venustatem deleret eo, quod adnectebat. Hoc vero, ni fallor, hoc loco factum est. Quod cur credam, unam supra iam indicavi rationem, cum explicarem, quam potissimum ob causam censeam ad 'timidae dirige navis iter' quae sequantur moleste esse adiuncta. Accedit, quod accuratius versus inspicienti res facile eam se praebebit, ut, quae altero disticho lectissimis verbis sint dicta, altero paulo vulgarius repetita esse agnoscat — explicata equidem dicere malim. Ac non poetam, interpolatorem puto explicasse. Quem, ut aliquid adderet, verisimile est movisse verba 'timidae dirige navis iter'; haec explicans repetivit vel amplificavit verbis 'officio huic numine dexter ades', poeticum ipse quendam colorem adfectans et conferens alios locos, ut I, 66 'dexter ades' et II, 17 'ergo ades et placido paulum mea munera vultu respice'. Adiecit deinde 'levem non aversatus honorem', quo verba 'excipe pacato vultu opus' repetuntur. His de causis versus 5 et 6 in dubium vocandi mihi videntur.[2]) —

[1]) Litteris maiore spatio distantibus versus scripsi, quos interpolatos esse suspicor.

[2]) Similiter fortasse iudicandum eisdem fere de causis est de versibus II, 13 et 14, qui nescio an Ovidi non sint.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Lib. II, 79 sqq.

Quem modo caelatum stellis Delphina videbas,
80 Is fugiet visus nocte sequente tuos:
Seu fuit occultis felix in amoribus index,
Lesbida cum domino seu tulit ille lyram.
Quod mare non novit, quae nescit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.

Offendunt quam maxime versus 'seu fuit occultis' sq. vel grammaticam obrationem. Nam deest, quo recte referantur ea verba, quibus duae afferunter rationes, cur ad caelum delphinus sit sublatus. Iubebimus ad 'videbas', quod est in priore versu referri. At primum, ita si statuimus, desideraretur 'vides in caelo', neque in enuntiatione relativa id dictum; deinde enuntiatorum ordo pravissimus is extaret; tum, si haec omnia neglegere aut vellemus aut possemus, illa usi explicatione desideraremus non 'seu — seu', sed 'seu quia — seu quia'.[1]) Itaque per grammaticam illo modo explicari nequit: explicari aliter non magis potest. Iam vero accedit, quod eorum, quae in priore versu parum eleganter significantur verbis 'fuit occultis felix in amoribus index', in eis quae sequuntur ratio nulla est habita, cum unam poeta ac notissimam illam causam exponat, qua astris receptus sit delphinus. Nonne Ovidius si scripsisset versum 81, de altera quoque fabula ex Eratosthene[2]) nota aliquid indicasset? Neque pauca igitur neque levia sunt argumenta, quae firment suspicionem de hoc disticho ortam. Et si forte sublato eo conexus deesse videbitur, monendum est non magis res cohaerere servatis illis versibus, ut quae ad antecedentes pesssime se applicent, et quorum alter in insequentibus prorsus neglegatur. Potuisse vero poetam post versum 80 statim pergere: 'Quod mare non novit, quae nescit Ariona tellus', ut medias statim in res ingrederetur, in fine (v. 117 sq.) diceret, quae aliis locis in initio posuit, hoc ego non negaverim. Quamquam alia etiam praesto est ratio, qua rem explicemus, si re vera male cohaerere illa videntur. Multanon bene cohaerent in Ovidi fastis, quos excepto primo libro ultima lima politos non esse constat. Multa poeta, si diutius vixisset, certe correxisset, mutasset, hic versus omisisset, illic addidisset, atque locus de quo agitur fortassis in eis est habendus, quos poeta iterum opus perlustrans diligentius limasset.[3]) Itaque sive hoc sive illud

[1]) quamquam exemplis opus non est, conferri possunt loci ut III, 773 sqq., IV, 171, 177 alii multi

[2]) quem sequitur Germanicus, phaen. 322.

[3]) Atque hoc ita se habere ut credamus, movere possunt in hac narratione non pauca alia, in quibus verum Ovidi ingenium desidero. Pulcherrime sane descriptum videmus, quantopere omnia animantia ac naturam ipsam Arionis cantus commoverit; sed ipsa in narratione casus illius, qui domum redeunti accidit, deesse videtur mihi undique expleta illa ac perfecta forma, qua veritatem tam bene imitari scit poeta; deest 'color Ovidianus', ut verbis utar Nic. Heinsii, desunt clarae illae rerum imagines, quas aliis locis velut ex ipsa vita ductas ante oculos ponit Ovidius. Frigent versus ut 105 'sed liceat sumpta pauca referre lyra', 115 'ille sedens citharamque tenet, pretiumque vehendi, cantat' ac maxime v. 113 sq. 'inde memorant delphinum se supposuisse oneri novo'. Nulla profecto in his rerum sub aspectum paene subiectio, quam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

statuerimus, unum hoc certum est suspectum distichon omitti posse; debere omitti argumentis supra allatis fortasse non mihi solum probatum est. Adiecit duos illos versus interpolator, ut conexum restitueret, quem desiderabat; inepte autem adiecit, cum et mendo emendaret et doctrinam ultro mythologicam inferret a poeta spretam.

Lib. II, 127 sqq.

Sancte Pater patriae, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit; hoc dedimus nos tibi nomen, eques.
Res tamen ante dedit. sero quoque vera tulisti
130 Nomina, iam pridem tu pater orbis eras.
Hoc tu per terras, quod in aethere Iuppiter alto,
Nomen habes: hominum tu pater, ille deum.
Romule, concedes: facit hic tua magna tuendo
Moenia; tu dederas transilienda Remo.
135 Te Tatius parvique Cures Caeninaque sensit:
Hoc duce Romanum est solis utrumque latus.
Tu breve nescio quid victae telluris habebas:
Quodcumque est alto sub Iove, Caesar habet.
Tu rapis, hic castas duce se iubet esse maritas:
140 Tu recipis luco, reppulit ille nefas.
Vis tibi grata fuit: florent sub Caesare leges.
Tu domini nomen, principis ille tenet.
Te Remus incusat: veniam dedit hostibus ille.
Caelestem fecit te pater, ille patrem.

Hoc de loco brevis esse potero. Inducendum puto distichon 137 sq. ut meram repetitionem antecedentis. Cui repetitioni hic locus non est, ubi per satis longam seriem versuum acerrime poeta ea, in quibus differant Romulus et Caesar, inter se opponat. Atque cum singula opposita bis binis versibus, octies singulis versibus proferat, num semel unam rem quatuor versibus bis eum dixisse iudicabimus? Itaque repetitio per se molesta fit intolerabilis. Interpolatorem iterum deprehendimus poetae verba docta (v. 135) et elegantia (v. 136) ad vulgarem sensum redigentem atque ita explicantem. Illud 'sub Iove' apud Ovidium sescenties legit, 'alto' decerpsit ex versu

plerumque admiramur in Ovidio, talia quasi agantur semper exponente, non quasi narrentur. Multa deinde brevius poeta scripsit assueto, ut aut non bene versus versum excipiat aut omissa videantur quae legere malimus quam supplere. Etiam in singulis quibusdam locutionibus facile parum elegantiae, neglegentiae nimium deprendas. Uncis inclusit versus 109 et 110 Merkelius.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

131. Bene hoc loco explicatum est, at explicatum. Ceterum optime v. 139 'tu rapis maritas' se applicat ad 'Caeninaque' v. 135, cum eius urbis incolae post raptum virginum primi in agrum Romanum impetum fecerint. [1])

Lib. II, 423 sqq.

Illa (i. e. lupa) loco nomen fecit, locus ipse lupercis.
Magna dati nutrix praemia lactis habet.
Quid vetat Arcadio dictos a monte lupercos?
Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet.

Iam dudum huic loco uncas dedit Rieseius; iniuria profecto servatus est ab aliis[2]). Nam quid posterius distichon sibi velit, sane mirandum est. Non videtur dubitare poeta, unde origo verborum 'lupercal', 'luperci' sit repetenda; designatissimis verbis rem explicat ac lupam dicit loco nomen fecisse, locum ipsum lupercis. Quin etiam magnum id praemium appellat, a lupa ea nomina ducta esse. Haec ipsa vetant statim sic pergi: 'Quid vetat Arcadio dictos a monte lupercos?' Poeta enim si aliam etiam interpretationem dare voluisset, ut novam, ab aliis creditam, oppositam ei, quam modo narravit, proferre debuit, non potuit prorsus neglegere, quae modo exposuisset. Id vero factum videmus disticho illo simpliciter adiecto. Itaque in eo doctrina sane agnoscenda erit interpolatoris, qui interpretationi prolatae a poeta vulgariorem adspersit, ut accommodatam ad ea, quae inde a versu 271 de origine sacrorum poeta narrasset.

Lib. II, 657 sqq.

Conveniunt, celebrantque dapes vicinia simplex,
Et cantant laudes, Termine sancte, tuas:
Tu populos urbesque et regna ingentia finis:
660 Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est, nullo corrumperis auro,
Legitima servas credita rura fide.
Si tu signasses olim Thyreatida terram,
Corpora non leto missa trecenta forent,
665 Nec foret Othryades congestis lectus in armis.
O quantum patriae sanguinis ille dedit!
Quid, nova cum fierent Capitolia? nempe deorum
Cuncta Iovi cessit turba locumque dedit.
Terminus, ut veteres memorant, inventus in aede,
670 Restitit et magno cum Iove templa tenet.

[1]) cf. Liv. 1, 10, 3.
[2]) Cancellis instruxit Merkelius sed cf. eius praefationem pag. 28 sq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Versus 663—666 ea, quae conexa et apta inter se sunt, pessime turbant atque dissolvunt. Versus 667 a versu 662, quocum artissime cohaereat, separari nequit; separavit interpolator intercalata nota illa ac saepe ex Herodoto[1]) repetita fabula de proelio inter trecentos Lacedaemonios ac totidem Argivos de Thyreatide agro facto. Atque quod in versu 664 de trecentis corporibus dictum est, quae 'leto missa' non forent, si Cynuriam terram Terminus deus 'signasset', hoc equidem non intellego; erant enim fere bis trecenti pugnatores caesi, cum de Lacedaemoniis unus, de Argivis duo e proelio illo servarentur. Alia, quae de genere dicendi eis in versibus fortasse moneri possunt, urgere nolim. Maius est, quod fabula illa a rerum Graecarum memoria repetita inepte pronuntiari videtur ab hominibus Romanis laudes Termini, sui dei, canentibus. Et quod rem conficit, illud 'quid, nova cum fierent Capitolia?' in versu 667, ut iam significavi, proxime accedit ad versum 662, qui Romana pulchra illa fabula continuo amplificatur et confirmatur exemplo celeberrimo. Turbatur hic conexus quatuor suspectis versibus, quos ab aliquo de suo ingenio amplificandi causa additos errore in Ovidi versus irrepsisse puto.[2])

Lib. IV, 7 sqq.

'Saucius, an sanus, numquid tua signa reliqui?
Tu mihi propositum, tu mihi semper opus.
Quae decuit, primis sine crimine lusimus annis:
10 Nunc teritur nostris area maior equis.
Tempora cum causis, annalibus eruta priscis,
Lapsaque sub terras ortaque signa cano.
Venimus ad quartum, quo tu celeberrima mense,
Et vatem et mensem scis, Venus, esse tuos.'

Hoc loco ut alio, quem supra indicavi, cum Merkelio feci, antequam prodiret nova eius editio, in qua proscripsisse eum vidi versus 11 et 12 'ut cordato poeta indignos.' Ac sane non Ovidius conflavit hoc loco versus e libro primo (I, 1, 7, 2.). Qui conflavit plane neglexit poetam in versu 10 non de maiore opere omnino[3]) dicere, quod fastorum libros conscribens suscepisset, sed significare eum, quid intersit inter rationem, qua olim (= 'primis annis') Veneris deae fuerit vates et qua nunc sit futurus, ubi ad eiusdem deae mensem fastorum doctrina explanandum venerit. Animadvertas, quam arte omnia cohaereant inde a versu 7. Nunquam, inquit poeta,

---

[1]) Herod. I, 82.

[2]) Similiter atque hoc loco res se habet alio loco eiusdem libri, ubi nescio an versus 477—480 interpolatori sint tribuendi. Nam Quirini nomen infra (v. 505 et v. 507) ab ipso Romulo explicari videtur, et 'nam' in versu 481 adiungi non potest nisi ad versum 476. Accedunt quaedam in versu 478 vituperanda. — Atque ut hic, sic interpolatoris doctrina etiam in versibus II, 627—630 fortasse agnoscenda, in quibus num suo loco mythologica sint exempla addita, dubito. Maxime vero offendit, quod versus 630 scelera significat, de quibus hoc loco omnino non agitur.

[3]) Non obiciet mihi verba deae 'certe maiora canebas', qui, quomodo sermo procedat, consideraverit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

te reliqui; semper tu mihi propositum, semper opus. Sed olim lusi tecum, nunc maius aliquid de te mea carmina sonabunt: venimus enim ad quartum mensem, quem tuum scis esse sicut ipsum vatem. Haec ratio qua sententiae inter se excipiunt, ni fallor, turbatur iniectis duobus illis e primo libro fere repetitis versibus, quos insuper bene nobis poeta dicit, inepte diceret deae vatem suum eiusque novum opus dudum bene noscenti. Ansa interpolationis perspicua

Lib. IV, 857 sqq.

Urbs oritur — quis tunc hoc ulli credere posset? —
Victorem terris impositura pedem.
Cuncta regas, et sis magno sub Caesare semper,
860 Saepe etiam plures nominis huius habe.
Et quotiens steteris domito sublimis in orbe,
Omnia sint umeris inferiora tuis.

De hoc loco H. Peterus scribit[1]: „Das letzte Distichon in der Rede der Pales ist matt nach dem 'victorem terris imponere pedem' (850), auch V. 861 an sich nicht ohne Anstoss.“ Quod rectissime virum doctissimum et de Ovidi fastis optime meritum animadvertisse puto. Et cum alio loco, V, 75 et 76, ubi idem adnotat[2]): „Wenn dies Distichon Ovid wirklich für diese Stelle geschrieben hat, so ist es jedenfalls ein sehr ungeschickter Zusatz“, item cum eo faciam, de interpolatione vero non cogitem, hoc loco non tam accusandum quam liberandum puto poetam, liberanda eius genuina verba alieno additamento.[3]) Etenim non solum languet miserrimum in modum distichon illud, non solum in versu 861 stribiliginem praebet intolerabilem ('quotiens steteris'), sed omnino cassa sensu sunt verba vel potius puerilis est, quem praebent. An si quis 'domito stat sublimis in orbe', non per se consentaneum est 'omnia eius humeris inferiora esse,' quippe ad cuius pedes tum omnia iaceant? Itaque insipientis est eiusmodi votum facere. —

Adicio statim alium locum de quo item rectissime iudicasse Peterum iudico, nisi quod iterum non poeta in vituperationem cadere debebat, sed interpolator. Est locus hic:

Lib. V, 195, sqq.

195 'Chloris eram, quae Flora vocor. corrupta Latino
Nominis est nostri littera Graeca sono.
Chloris eram, nymphe campi felicis, ubi audis
Rem fortunatis ante fuisse viris.
Quae fuerit mihi forma, grave est narrare modestae;

---

[1]) in appendice critica quam adiecit editioni suae commentario docto instructae (Lips. Teubn. ed. II. 1879) pag. 61.

[2]) l. l. pag. 65.

[3]) Merkelius etiam uncis inclusit in nova editione (1884).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

200 Sed generum matri repperit illa deum.
Ver erat, errabam: Zephyrus conspexit, abibam.
Insequitur, fugio: fortior ille fuit.
Et dederat fratri Boreas ius omne rapinae,
Ausus Erechthea praemia ferre domo.
205 Vim tamen emendat dando mihi nomina nuptae,
Inque meo non est ulla querella toro.

Versus, quos induxi, certissime sunt glossema. Iudicium de eis Peterus fert verbis: „Das Distichon 203, 204 ist matt und überflüssig.“ [1])

Sed praeter ea, quae Peterus vituperat, alia restant, quae vituperentur. Divellit enim illud distichon versus, quorum vivide alius alium in brevi illa narratione excipit, et insuper prave ad versum antecedentem adnectitur per 'et' particulam. Atque ne illud quidem praetermittamus, quam non conveniat Florae cum afferre omnino exemplum illud, tum ita afferre, ut quasi rationem dicat esse, qua excusetur vis, quam sit passa. Quod argumentum eo firmius puto esse, cum pudor ipse venustam illam brevitatem in re narranda effecisse videatur, a cuius tenore simplici docta illa ratiocinatio prorsus recedit. Atque si, quae fuerit forma, grave erat narrare modestae, multo gravius nempe fuit addere ea, quibus interpolator gracilem gracilis deae narrationem crude inquinavit. Ovidio certe, ut in talibus quam maxime artifici, vitium id genus minime omnium tribuerim. [2]) —

Finem iam imponamus huic capiti uno etiam fastorum interpolationis exemplo luculento edito, quod, cum ad plures versus pertineat, uberiore disputatione egebit.

Lib. V. 259, sqq.

Qui memor accepti per me natalis "habeto
260 Tu quoque Romulea" dixit "in urbe locum."
Forsitan in teneris tantum mea regna coronis
Esse putes? tangit numen et arva meum.
Si bene floruerint segetes, erit area dives:
Si bene floruerit vinea, Bacchus erit;
265 Si bene floruerint oleae, nitidissimus annus;
Pomaque proventum temporis huius habent.
Flore semel laeso pereunt viciaeque fabaeque,
Et pereunt lentes, advena Nile, tuae.

---

[1]) l. l. pag. 68.

[2]) Denique tertium locum, VI, 43 sq., quem molestissimum Peterus dicit esse, interpolatori tribuendum censeo. Non solum enim molestissima illo disticho introducitur sententia, sed etiam prorsus deletur illo iniecto anaphora, quae extat ter repetito 'paeniteat'. Quod utrumque non Ovidi. Ceterum comparari potest haec interpolatio cum ea, quam modo agnovimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Vina quoque in magnis operose condita cellis
270 Florent, et nebulae dolia summa tegunt.
Mella meum munus: volucres ego mella daturas
Ad violam et cytisos et thyma cana voco.
[Nos quoque idem facimus tunc cum iuvenalibus annis
Luxuriant animi, corporaque ipsa vigent.']
275 Talia dicentem tacitus mirabar.

Versus 273. 274 iam Bentleius ab Ovidio non scriptos notavit eumque Rieseius Merkeliusque secuti sunt; servavit versus Peterus. Insunt sane in hoc disticho non nulla eaque gravia quae suspicionem moveant. Peterus in adnotatione ad hunc locum versus ita explicavit: „Sinn: meine Thätigkeit ist in gleicher Weise auf Hervorbringung und Förderung der Blüte (man spricht auch von einem flos iuventutis) gerichtet, wenn der Geist in den jugendlichen Jahren üppig schwillt, fast = nos facimus, ut luxurient animi.“ [1]) Certe hic est sensus, sed quomodo ex ipsis verbis depromatur, nec Peterus demonstravit, nec demonstrabit alius. Sentimus qui hos versus scriberet, eum eis sensum inesse voluisse, sed ita verba composuit, ut, quid dicere voluerit magis divinare quam ex ipsis verbis percipere cogamur. Nimirum desideramus, ut in antecedentibus verbis extet, ad quod 'idem' pronomen referatur, desideramus, ut actio quaedam Florae sit nominata, ut, cum dicatur 'idem facimus', sciamus, quidnam re vera faciat. Atqui in eis quae antecedunt vocat Flora apes ad violas aliosque flores, ut dulcem eorum sucum trahentes mella dent. Tum idem facit iuvenalibus annis, cum animi luxuriant et corpora ipsa vigent — vocat igitur iuventutem ad violas? Hoc vix quisquam affirmaverit. Attamen recte ratiocinati nihil aliud significare posse verba ea existimabimus, neque tamen 'iuventutem ad flores vocare' dici potest pro 'iuventutis florem efficere'. Illi igitur disticho versus suspecti non bene asseruntur; sed ne transpositione quidem, de qua quis cogitare potest, quicquam lucramur, quia nulli alii disticho melius, nedum bene, se adaptant servato sensu eo, quem hucusque cum aliis inesse in eis voluimus. Nam nusquam nec in antecedentibus nec in insequentibus distichis Flora aperte dicit: florem efficio, floridum reddo vel tale quid, ut bene pergat: idem facio. Sed fac recte id se habere, extare, quo referatur 'idem', ut intellegamus pro 'florem efficimus': aliud non sustuleris, quod scrupulum moveat. Cum luxuriant iuvenalibus annis animi et corpora vigent, quidnam aliud faciunt, nisi ut floreant? Molestam igitur tautologiam habemus eamque ineptam, cum, quod efficere se Flora dicit, iam effectum videamus. Accedit denique vituperandum, quod subito plurali ('nos facimus') de se loquitur dea, cum in eis quae antecedunt singulari numero semper sit usa ('meum', 'mea regna', 'numen meum' atque in ipsis versibus 271 sq. 'meum munus', 'ego voco'!),

[1]) conferri vult Fast. II, 437 'luxuriant animi rebus plerumque secundis'; Verg. georg. III, 81 'luxuriat animosum pectus'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quae durissima est variatio. Iam ex his omnibus argumentis, quae exposui, sequi videtur procul dubio rectissime Bentleium hoc distichon ab Ovidio abiudicavisse.

Sed ne ab interpolatore quidem post versum 272 hoc distichon additum esse puto, quippe quod illic locum omnino non habeat. Atque quod dixi transpositione eos versus ut ab Ovidio scriptos servari non posse, mutato tamen transpositione sensu quomodo sit interpolatum demonstrare possumus. Non enim post versum 272 additos esse puto versus spurios, sed post versum 270, neque 'nos' dictum esse pro 'ego, Flora', sed significare 'nos, homines'. Ac profecto si hoc ordine versus leguntur:

'Vina quoque in magnis operose condita cellis
Florent, et nebulae dolia summa tegunt.
Nos quoque idem facimus tunc, cum iuvenalibus annis
Luxuriant animi, corporaque ipsa vigent',

bene intellegi potest 'idem nos facimus' i. e. idem, quod vina faciunt: floremus; et ut vinum, cum floret, nebula summa dolia tegit, ita nos quoque, cum iuvenalibus annis floremus, aetatis vigore nimis fere redundamus et quasi superfluentes effervescimus iuvenali quadam licentia.

Quod certe ut non inepte excogitatum ita ab Ovidio scriptum non est, quia non venuste, immo molestissime ea parenthesi, cum praesertim totum distichon impleat, Florae oratio interrumpitur. Inseruntur a poeta saepius orationi cuiusdam aliquot verba, quae explicationem quandam afferunt, velut IV, 691; 936; 938; VI, 523; at hoc loco sententia longius producitur, nova infertur, et Flora, quae de se loquitur, non paulum temporis subsistere cogitur, dum de 'nobis' sermo sit finitus, id quod a poetae arte ingenioque plane abhorret. Et quod rem conficit: illud ipsum distichon de vini flore certissime spurium est!

Hoc iam probare studebimus. Respice, quaeso, versus 261 sqq. Flora dea postquam, quemadmodum Romam venisset, narravit, omnino floris se effectricem esse demonstrat atque omnium plantarum, quae ipsius auspiciis floreant, complura enumerat exempla, ut segetes, vineas. Quae omnia, si bene floruerint, proventum habitura esse dicit. Tum, ut ex contrario demonstret, quantum ad fructum proferendum floris dea valeat, contrarium ac supra ponit, cum dicit: flos semel si laesus erit, ipsa planta fructum non proferet — 'pereunt viciaeque fabaeque', quae exempla affert ut supra segetes, vineas alia. Hucusque omnia bene se habent. Vidimus pro flore esse fructum; arva floribus albentia fructum proferent, sterilia erunt flore laeso.

Tum vero, cum et de flore et de flore laeso uberius dea dixerit atque de eo ad finem perductum putemus esse sermonem, subito a flore laeso ad florem, de quo supra dixit, resilit novumque etiam exemplum affert floris. Et quale exemplum! Gierigius in editione sua ad versum 267 adnotat: quae de vino sequuntur, ea melius abessent. Utique simile aliquid eum offendit ac me, cum hos versus legerem. Dicebant Romani florem sive nebulam vini spumam tenuem in summo vino natantem. Flora autem dea est florum, qui tepido vere enascuntur,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

efflorescunt plantae deae nutu, ut fructum postea proferant. At si florem movit vineis ut fructus ferrent, num etiam vini spumae, quae 'flos' vocatur, non est, deam exsistere eam putemus? Hoc non venuste, neque a poeta, sed ab interpolatore excogitatum arbitror, ab interpolatore, qui magis nomini quam rei indulgens — est enim spuma vini non eo sensu flos, ut ex ea fructus nascatur, ut ex floribus, quos fovet Flora — cum de vinearum flore legisset, etiam de vini flore sibi dicendum existimaret.

Atque omnino audacissime hoc loco grassata est interpolatoris manus. Restat enim tertium distichon proscribendum, dico versus 265 et 266. Tria sunt his in versibus quae offensionem praebeant. Atque primum quidem verba 'nitidissimus annus' suspecta sunt. 'Nitidissimus annus' enim spectat in universum, hoc autem loco singula afferuntur, cum complurium florum qui suus cuique sit fructus, demonstratur: si segetes bene floruerint, multum frumenti in area tundetur, si vineae bene floruerint, multum vini erit; sed satis languide pergitur: si bene floruerint oleae, nitidissimus annus, quia non ut ad segetes frumentum, ad vineas vinum, sic ad oleas proprie spectat 'nitidissimus annus', quod aeque ac de oleis etiam de segetibus vel de vineis dici potuit. In ea re contra artem poeticam peccatum est neque id tribuerim Ovidio. Ipsa verba ex versu 207 desumpta videntur, atque, quod maius est, videtur contulisse interpolator versus 321 sqq., quibus hunc locum adaptavit.

Deinde in versu qui sequitur (266) parum accurate dictum est 'temporis huius', cum ex antecedentibus etsi sensu, tamen non ipsis verbis supplere possimus, cuius. Legimus: si bene floruerint sqq., quod sane fit tempore veris, sed verbo ipso non nominatur ver, ut bene ac recte se applicet 'temporis huius', non dure ut nunc.

Denique ipsa locutio 'poma proventum huius temporis habent' certe non elegans, fortasse etiam parum latina videri potest; poetae utique minime videtur attribui posse. Quod quamquam fortasse levius iudicabitur, cum alia accedant, non est neglegendum.

Sustineo igitur tria illa disticha, de quibus uberrime disputavi, genuina non esse, sed interpolata; quibus omissis non modo nihil desideratur, sed apte demum omnia se excipiunt. Desiderasse quaedam videtur antiquissimi temporis librarius aliquis, sive qui ipse fastos edidit, sive post eum qui legebat, aut si nihil desideravit, occasionem tamen eo loco sibi datam esse existimabat e suo ingenio, quae inseruit, inserendi. Quo genere interpolationum ipsos fastos saepe depravatos esse et sat multis aliis constat exemplis et eo facilius potest intellegi, quia non perfectos neque extrema lima politos eos reliquit poeta.[1]) —

---

[1]) Confiteor olim totum hunc locum quatuordecim versuum (261—274) suspectum mihi visum esse. Etenim in reliquis etiam sunt, in quibus facile quis haereat. Sic in versu 268 nescio, quo iure Nilus ab Ovidio dicatur 'advena'. Bene II. 68 et III. 524 Tiberim advenam vocat e Romanorum conspectu, cum ipse sit Romanus, cui Tiberis ex Etruria in Latium Romamque fluens cum advena facile potest comparari Nilum autem nisi ex sententia Aegyptiorum advenam poeta vocare non potest, nisi forte omnia flumina, quae sunt in terra, hoc epitheto satis exquisito vult ornare. Deinde Florae oratio non tam finita quam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf